



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VII. Quomodo humanae traditiones ab Ecclesiae traditionibus
distinguendae sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

tibus sulphuratis expurgantur. Illud habere pro verissimo axiomate fieri nullo modo posse, ut quis Patres legat sine præiudicio, & maneat Calvinista: omnem q; hac de re controuersiam huc tandem recidere, utrum standum sit potius iudicio vnus Caluini, aut alterius cuiusdam talis Doctoris, quam omnium, qui inde ab Apostolorum temporibus ante ipsum fuerunt, Christianorum & Ecclesiarum, siue in definiendo, quænam sit Scriptura Canonica, siue in ipsa Scriptura interpretanda. Deprehendemus autem, semper in negotio Christianæ Religionis nouitates damnatas fuisse per antiquitatem Ecclesiæ Christianæ, & particularitatem per vniuersalitatem communemque sedecim integrorum seculorum consensum.

VII. Quod si vnus, duorum aut trium sæculorum antiquitas antiquis illis Patribus Ecclesiæ defensoribus clypei loco fuit aduersos tot genera hæresium illam oppugnantium; quantum roboris inesse censebitis tam multorum sæculorum, quam nos possumus iactare, præscriptioni? præ qua certæ modernæ istius Religionis risu digna est vetustas, quæ vix triginta aut quadraginta miseræ hiemes vidit, easq; mille tempestatibus ac procellis terribiles? Quæ est ista, inquit Launæus in conuersione sua, præclara antiquitas? Ego ipse tam sui origini vicinus, ut à primis negotium mihi fuerit exhibitum, qui prædecesores non habuerunt, nec vlli alteri successerunt. A deo recens est ista antiquitas, ut adhuc sit in ipso ortu suo. Id quod vel solum satis est ad euertendum, quidquid sese Ecclesiæ Catholicæ audeat opponere. Tu qui in precio habes vetustum aliquod numisma ærugine obductum, aut columnam semidiruram, aut inscriptionem pæne exesam, quique eiusmodi monumenta in alio theca arcæ tuæ, tanquam cimelia quadam, asseruas, & magna delectatione perfunderis, dum in istis figuris defiguratis notatisque preciosæ illius adeoque incuruæ vetustatis rugas obseruas, quique, ut Poeta quidam cauit,

*Miraris veteris fragmenta exesa Colossi,
Et numos tumbasque notis fugientibus olim
Inscriptas, & quidquid habet veneranda vetustas.*

Quid est cur in negotio Religionis tam parum tribuis antiquitati? Illud nimirum (fatere quod conscientia distat) quoniam in omnibus Ecclesiæ Catholicæ angulis illa radiat atque effulget. Præserte speciem quæ vultis, Ministri Calviniani, & quantū

vultis, mendaci Plessæi præfatione negotium vestrum fucate, dissimulate, incrustate; facile est vobis præteritum aliquem inuenire, & icu declinare. Sed quidquid etiam præteratis, nihil est tamen, quod magis conscientiam vestram fodiat, quam memorabilis & vniuersalis ille Christianæ antiquitatis consensus, qui olim inter mille hæreses S. Augustinum & omnes Patres in Ecclesia retinuit; magnus est iste & venerabilis testis. Nefas est loco mouere sacros limites ab antiquitate constitutos, ad Religionis sanctæ & inuolabilia iura distigenda. Semper optimum est quod est antiquissimum, & antiquissimum quod optimū. Credere oportet veteribus, ait vnus ex Patribus nostris, tanquam melioribus, & Deo propinquioribus: ad quos ipse non raro nos remittit. Hæc sunt arma veteris illius bellatricis Ecclesiæ, nunquam deponenda è manibus. Non loquor autem de humana illa antiquitate, quam Sapientes receperunt, quam nonnemo appellat sociam sapientiæ & vicinam diuinitatis sed de Christiana antiquitate tantum, aut, ut dicam clarius, de illa fide, illa doctrina, quam amplexi sequutique sunt vniuersim omnibus seculis, omnes Christiani, inde ab origine sua, à temporibus nimirum Iesu Christi, hoc est, ij, quos audire, & quibus tanquam ipsi Deo obedire cœlesti voce iubemur, quosque eadem negat errare posse simul omnes in idem consentientes. Et hic quidem tam mirabilis consensus Spiritui nostro testatur, non posse eundem aliunde quam à Dei spiritu proficisci. Et qui alibi deprehenduntur per longum annorum spacium soli Christianorum nomine appellati, siue Christianismum professi fuisse, immo qui sunt Commissarij Legatiq; Dei, & bonorū ipsius dispensatores, & Cœli ianitores, ut loquitur Scriptura.

DE CALVINO, QUI OMNES
ceremonias aboleuit: deque modis quibus
primi Christiani Paganos ad Christianismum adduxerunt.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

- I. Lutherus quasdam Ecclesiæ ceremonias retinuit,
Calvinus omnes penitus aboleuit.
- II. Calvinus de ceremonijs iudicium.
- III. Christiani cum Paganis multa habuere communia.
- IV. Cere-